



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 59. Joannis Villetani dissertatio circa Communionem sub utraque specie.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI. **A C. 1562.** Sanguis in Eucharistia juxta verba Christi fit Sanguis effusus, adeoque extra venas, in quibus quamdiu detinetur, potus esse nequiret, ac proinde unacum corpore per *concomitantiam* esse non posset, immo Eucharistiam a Christo Domino institutam fuisse inquiebat in memoriam passionis suæ, quæ facta est per separationem, & effusionem Sanguinis. Hac opinione proposita universus Patrum confessus vehementer offendebatur, atque Religiosus iste sententiam suam retractare jubebatur, quod ille etiam cum ingenti submissione, ac docilitate executus est.

§. LIX.

Joannis Villetani dissertatio circa communionem sub utraque specie.

Pariter Joannes Villetanus, seu Villeta Hispanus, qui unacum Barcinonensi Episcopo Synodum accesserat, hanc in rem differebat, & quidem cum tanta sermonis puritate, ac rationum firmitate, ut quamvis ejus oratio jam per solidas duas horas fuisset protracta a die decima septima Junii usque ad ejusdem diei vesperam, qua hæc dissertationes erant finiendæ, nihilominus Patres illum rogarent, ut altera etiam die sermonem suum prosequeretur: quod etiam

etiam præstitit, cum ingenti totius
 confessus applausu: hæc tamen die fer-
 me omnia, quæ ab aliis obscure, aut
 minus solide fuere proposita, verbis ma-
 gis exquisitis, clariusque, ac solidius
 repetiit.

Sæcul. XIV.
 A.C. 1562.

§. LX.

*Theologorum iudicium de hisce quin-
 que articulis.*

Finitis omnibus hisce dissertationibus, *Pallav. l. 17.*
 ex quibus res nondum decidi pote- *c. 6. n. 8. 9.*
 rat, seorsim cujuslibet sententia roga- *Et seq.*
 batur, ac quidem circa primum articu-
 lum consensere omnes, quod non sit
 Divinum præceptum, vi cuius singuli
 Christiani utramque speciem accipere
 teneantur; nam cuncti sentiebant, hoc
 præcepto Sacerdotes obstringi, ut rem
 Divinam in duplici specie conficiant.
 Postremæ istorum sententiæ unicus Do-
 ctor Lusitanus adversabatur, isque forte
 Innocentii III. Alberti Magni, & Joan-
 nis de Turrecremata Auctoritati in-
 nitebatur, atque adducebat Raphael-
 lem Vollateranum, qui scripsit, quod
 Innocentius VIII. Norvegiæ Sacerdoti-
 bus, cum apud illos ingens vini penu-
 ria esset, sub unica panis specie con-
 secrare permisisset: verum hæc Raphael-
 lis narratio confutatur a Bellarmino
 Cardinale, qui observat, quod verita-
 tem